

Judeos ea in re credere recusarem. Cum autem nihil in Scriptura adversus illas exploratum habeatur, nulla de imperitia Hebraeorum suspicio, non est cur pro arbitrio defecisse illos in ratione temporum definiamus.

Luc. 3. 1.

Joan. 2. 13. & 6. 4. * Joan. 11. 55. & 12. 1. & 13. 1.

Vide huc omnia fusiùs apud P. Lamy & D. Toynardum ac supputationes Bouliaudi.

Vide Antiochenus in Marc. 14. 1. Cod. Reg. 1058. & 437. apud Toynard. Harmon. not. pag. 151. Idem in Marc. 14. 13.

Quod verò ad mortualem Jesu Christi annum spectat, componendum illum cum 33. Ætate vulgaris adductis argumentis demonstrari potuisset. S. Joannes munus suum Præcursoris inivit (e) anno 15. Imperii Tiberii; incidit autem annus ille in 29. Ætate vulgaris. Aliquantulum post susceptum à S. Præcursore munus Jesu Christus Baptismi lavacro tinctus est. Deinde Jesu Christus duobus annis & semis ad minus post Baptismum suum muneri prædicationis inivit. Apud S. Joannem (f) gemina Paschata, ultra novissimum illud quo diem clausit (*), non obscurè designantur. Non ergo ante annum 29. Ætate vulgaris Jesu Christus interit.

Obiit ille procurante Judæam Pilato, quem Præsidem ante obitum Tiberii è provincia pulsatum constat. Porro Tiberius nemine ambigente obiit anno 37. Ætate vulgaris; ac proinde obitus Jesu Christi intra annum 29. & 37. Ætate consignandus est. In annis verò intra eos terminos nullus occurrit, quàm 33. cuius Pascha in tertiam quintam vel sextam incidit. Is ergo mortuus est Jesu Christi statuendus est (g).

Quamquam nostrum hoc systema apud Veteres communi suffragio non probatur, non defuerunt tamen inter eos, qui sibi ejus partes defendendas suscipere; nullaque est receptior apud Præfatos illos sententia, si ea tantum excipiatur, quæ legale Pascha à Jesu Christo celebratum defendit. Neque hic referendam censo opinionem S. Chrysostomi in Matth. Hom. 85. statuentis postremum Pascha cum Apostolis celebrasse quidem Jesum, non verò Sacerdotes & Scribas, ceterosque Judæos, ejus urgenda neci intentos. Quo enim furore, livore, & odio erant in Jesum, eo prohibiti sunt, ut religioni & piis illis caeremoniis vacarent, quare tota diei sacri religio in alteram diem remissa est. Hæc sanè opinio singularitate sua omnes deterret; id tantum nobis in præsentia ejus occasione animadvertendum est, Textus S. Joannis eam fuisse penes S. Doctorem vim, ut non aliâ ratione sibi exponendum illum arbitraretur, quàm postremum illud Pascha dilatum in alteram diem à Persecutoribus comminiscens.

Victor Antiochenus (h) Scriptor sæculi quinti, quippe qui S. Chrysostomum, tanquam superstitem laudet, observat, Judæos biduo ante Pascha & Passionem Jesu Christi, nempe feriâ quartâ, de perdeno Christo deliberaffe; oportebat enim, ait, die 14. primi mensis Agnum Paschalem in ara crucis immolari. Addit, illud S. Matthæi, Apud te facio Pascha, designare potuisse, non esum, sed Paschæ apparatus; luculenter enim S. Joannes perhibet, qua die Christus neci traditus est, Judæos nondum Pascha degustasse. Porro,

ait, hac ipsâ die debuit Pascha typicum in Templo immolari, & verus Agnus in cruce mactari.

Nec minis eidem sententiæ favet Apollinaris (i), animadvertens, appositè quidem S. Joannem post cœnam à Christo factam animadvertisse, nondum Festum Paschale initum: Ante diem festum Pascha, cum dilexisset suos, in finem dilexit eos. Nondum igitur degustatum erat Pascha, cujus eodem tempore Agnus delibandus erat, quo Jesus Christus verus Agnus Paschalis in crucis ara mactabatur. Reputandum est igitur, addit ille, Textum Evangelistarum, quo exprimitur primâ die Azymorum missos à Jesu Discipulos, ut cœnaculum instruerent, reputandum est, inquam, nihil aliud designasse, quàm missos fuisse Apostolos biduo ante Azyma i. e. die decimâ tertîâ mensis; ac tandem cœnam illam alteram fuisse à Paschali. Hæc sanè expositio præferenda, quò simul S. Joannes ceterique Evangelistæ conciliantur; eandemque insinuat S. Matthæus, referens illud Jesu Christi ad Discipulos: Vos scitis, quia post biduum Pascha fiet &c. Quare Jesus eodem tempore in crucem actus fuit, quo Pascha immolabatur. Ita Apollinaris.

S. Epiphanius [k], persuasum habet, plerosque Judæorum anno Jesu Christi mortuali Pascha biduo prævertisse; quibuscum confenserit Jesus; cum interim, ait, alii melius instructi ad feriam sextam Festum distulerint. Singularem hanc sententiam nostro suffragio probandam non ducimus, sed satis ex illa insinuatam arbitror, quantis in ambagibus pro conciliando S. Joanne cum ceteris Evangelistis Præfati illi versarentur. Casaubonus (l), P. Petavius (m), & post illos P. Lamy sententiam laudant excerptam è Præfatione Chronici Alexandrini (n), Petro ejusdem Urbis Episcopo tributâ, qua Paschalis Agnus novissimo Paschate à Jesu Christo degustatum negatur; sed eâ ipsâ horâ immolatus dicitur in cruce Jesus ac in Templo Agnus Paschalis.

Porro Author iste sive Chronici Scriptor huic fulciendæ sententiæ laudat testimonium S. Hippolyti Martyris Episcopi Portuensis in Italia, in ejus libro adversus Hæreses, quo in Opere Author evertendas aggreditur Quartadecimanorum opiniones, ita ratiocinans: Jesus Christus Pascha celebravit die quartâ decimâ lunæ, non altera igitur est nobis dies Paschalis habenda. Calamum igitur acuens Author adversus illos, defendit, Jesum Christum à legali Paschate tempore Passionis suæ degustando prohibitu fuisse; quippe qui verum esset Pascha eadem horâ immolatum, qua ipse antea prædixerat. Alterum ejusdem Authoris testimonium laudari potest, & in eandem sententiam ex libro de Paschate.

Ibi etiam servatur fragmentum Apollinaris Episcopi Hierapolitani (o), in quo sententia reprehenditur autumantium, Jesum Christum cum Discipulis suis die 14. ejusdem mensis Pascha degustasse. Tandem

i Apollinar. Caten. in Joan. 18. 25. Codex Reg. 247.

k Epiphani. Panar. hæs. 52. & in Petav. in animadv. in Epiph.

l Casaub. Exercit. 17. n. 24. m Petav. lib. de Doctr. Temp. c. 15. n Petr. Alexand. in Chron. Alex. xand. Præfat.

o Apollinaris Hierap. Epist. p. 6.

p Clement. Alex. p. 7.

q Metrodor. & duo Anonym. apud Phot. Codd. 115. 16.

r Vide nov. Edit. S. Joannis Damasceni tom. 1. pag. 647. 648. s Dissert. de Azym. p. 12.

t Apud Michaelem Le Quien. Dissert. 10. 1. Joan. Damasc. p. 71.

u Talmudist. Traç. Sanhedrin.

textus alter tanquam ex S. Clemente Alexandrino (p), sed perperam inscriptus, producitur, ubi paratum quidem ab Apostolis Pascha, sed à Jesu Christo minime celebratum statuitur, cum enim verum in se Agnum, cujus Judæorum agnus typus esset, exhiberet, debuit eadem uterque horâ immolari. Non quidem negaverim, ex fragmentis istis plura falsò illis Authoribus inscribi, sed ex vetustissimis desumpta Libris adversus Quartadecimanos plerumque scriptis constat. Author Quæstionum ad Orthodoxos 965. luculenter asserit, Jesum Christum ad necem damnatum obiisse die Parasceve vel Paschatis per-vigilio. Euthymius Zygabenus in Comment. ad Matth. demonstrat fusiùs, Christum Pascha celebraffe die 13. Lunæ, obiisse verò die 14. ac tandem Pascha in diem 15. incidisse.

Philoponus, qui florebat A. 604. sub Phoca, de hoc argumento differens, negat celebratum à Jesu Christo novissimum illud & Eucharisticum Pascha. In eandem sententiam scripsisse Metrodorum, aliofque duos, qui lucubrations suas adversus Judæos & Quartadecimanos ediderunt, Photius [q] est author. Id pariter nonnullis ætate suâ probatum Theophylactus & Euthymius asseruerunt; & rem esse adhuc sub judice Photius ipse perhibuit.

In nova Operum S. Joannis Damasceni Editione gemina Scripta in lucem prodita sunt, quibus eadem sententia defenditur (r); ibique pariter extat fragmentum Authoris cujusdam Græci sub S. Joannis Damasceni nomine (s), in quo Scriptor asserendum sibi arbitratur, Jesum Christum mysticam cœnam feriâ quintâ, sextâ horâ vespertinâ degustasse, cum interim Azyma non nisi alterâ die, feriâ nempe sextâ, Christo jam in tumultum illato, exordirentur. Euthymius Zygabenus, Græcus, & Schismaticus Author, tradit Jesum quidem unâ die Pascha Judaicum prævertisse, quare celebratum ab ipso Festum feriâ quintâ, à Judæis cæteris feriâ sextâ, usum autem in cœna vulgari pane, in quo pariter mysteria confecerit.

Laudat etiam Casaubonus pro sententia de non celebrato à Jesu Christo Paschate Cedrenum, asserentem Jesum Christum à veteri quidem abstinuisse, novo Paschate, in quo ipse Author esset & viciatima, contentum.

Petrus Antiochenus in sua epistola ad Dominicum Patriarcham Gradensem (t), sententiam illam de non adhibitis in confessione mysteriorum à Jesu Christo Azymis defensurum, nostram hanc sententiam confirmat; namque, ait, ea dies decima tertîa lunæ agebatur, cum interim Agnus Paschalis non nisi quartæ decimæ additus esset, & postera inde die Azyma intrent. Possent etiam his omnibus accenseri testimonium Judæorum (u), asserentium, Christum Jesum, quem Eliam Pandir & Sada appellant, supplicio crucis in Lydda, sive Diospoli peremptum, damnatumque judicio Magni Synedrii ipso Paschatis per-vigilio.

Dissert. Calmet Tom. II.

Nec altera fuisse mens Tertulliani facile creditur; ita enim ille in opere contra Judæos cap. 8. Quæ passio perfecta est die 8. Kal. April. die primo Azymorum, quo Agnum ut occiderent ad vesperam, à Moysse fuerat imperatum. Itaque omnis Synagoga filiorum Israel illum interfecit. Quæ postrema verba ad illud Exod. 12. 47. spectant: Omnis cœtus (Septuag. Synagoga) filiorum Israel faciet illud (Pascha). Insinuat autem Scriptor, universum Israel in immolationem veri Agni consensisse, quò nempe omnes ejus necem postulassent, eò potissimum temporis articulo, quo Agnus Typicus in Templo mactabatur.

Hilarius Diaconus Ecclesiæ Romanæ sub Liberio, Author, uti fertur, Q. in Vetus & Novum Testamentum, hanc quæstionem veluti in Ecclesiâ receptam proponit. Quid causa fuit, ut illo tempore crucifigi se permitteret Dominus, quo octavo Kal. Aprilis Pascha celebraturi erant Judæi [x]? Et in responsione rem illam tanquam certam constituit. Gemina habet in responsione ad quæstionem 94. Vespere, ait, eadem die Pascha acturi erant. Favisse pariter eidem sententiæ S. Augustinus apparet, scribens: Tunc primùm Pascha celebravit Filius Dei, quando ex Ægypto fugientes Rubrum mare transferunt. Nunc ergo figura illa Prophetica in veritate completa est, cum sicut ovis ad immolandum ducitur Christus. Nihil tamen in ea S. Doctoris autoritate momenti collocandum censo, cum ambigua scribentis mens non satis appareat.

Illud tantummodo generatim asserendum mihi arbitror, Latinos Patres non satis argumentum illud discussisse. Cum enim Textum S. Joannis interpretantur, ita mentem suam exprimunt, quasi non degustatum à Jesu Pascha cum Judæis autumant. Idem pariter servatur à Patribus Græcis, veluti S. Chrysostomo in Matthæum 26. & Theophylacto (y); illud autem S. Matthæi 26. 7. Primâ die Azymorum, de per-vigilio Azymorum interpretantur. Recentiores verò ad eam ab ejus sedulo examine abhorruerunt, ut quicumque aliquid de adversa opinione effutirent, illos tanquam hæreticos & visiones venditantes insectarentur. Vechietus carcerem Inquisitionis eo nomine sustinuit, quod à communi ea opinione recedere ausus fuisset. P. Lamy, qui primus systema suum de Paschate vulgavit (z), plurimum annorum spatio an mentem suam eâ de re proderet, deliberavit, neque antea consilium susceperat, quàm vidisset D. Toynardum eandem opinionem defendisse in sua Harmonia, quæ plurimum annorum molitione ab ipso elaborata, tandem post Authoris obitum prodit in lucem. Frequens alterius opinionis assertorum turba non est cur magni in eam rem momenti habeatur, cum nullum hunc usque sedulum examen sententia illa subierit.

Vetus etiam consuetudo adhibendi panis fermentati in Sacrificio Altaris, postremum est, quo sententiam hanc fulcimus, argumentum. Vetustissimum hunc esse in K Orjen.

x Auth. Vide tom. 3. p. 55. Edit. nov. 9. 55. pag. 63. & quæst. 9. pag. 85.

y In Matt. 31. & in Luc. 22. Vide Dissert. de Azymis præfixam priori volumini nov. Edit. S. Joannis Damasceni à P. Le Quien.

z Epist. de Pasch. pag. 26. 27. Gallicè.

Oriente morem satis constat. Semel in anno azymo usos Ebionitas, Paschalis nempe diebus, tradit S. Epiphanius, satis insinuans reliquo anni tempore fermentatum adhibuisse. Armeni omnium primi inter Orientales, relicto fermentato, ad azyma se contulerunt [a]. Joannes Philoponus sexti sæculi, uti jam innuimus, Scriptor perhibet (b), ætatis suæ Ægyptios non nisi in fermentato Sacramenta conficere. Idem de recentioribus Æthiopicis affirmat Ludolfus (d), & de Ægyptiis Vanflebius (e). Abraham Echellensis (*), testatur, legi in Canone Jacobitarum & Nestorianorum; Et accipiens panem fermentatum, benedixit, &c. Solemnis est etiam apud Græcos nostræ ætatis consuetudo, cuius incerta est & ignoti fontis origo. Est igitur cur ab initio derivatam suspicemur.

Ad Ecclesiam verò Latinam quod attinet, P. Sirmundus Tract. de Azymis, & Cardinalis Bona de Rebus Liturg. defenderunt, fermentatum panem adque decimum sæculum circiter apud illam obtinuisse. Contrariam sententiam tuetur P. Mabillonius, de fermentato & azymo, cui vetustior Azymorum consuetudo probatur; quin & semper apud Latinos eam manifeste traditionem contendit, ad stipulatore usum Papa Leone IX. (f) qui obtreactionibus Græcorum respondens, affirmat jam inde à 1020. annis azymum usum Ecclesiam, & eo veluti pane nutritos Martyres omnes Ecclesie Latinæ. Constat planè, Michaelis Cerularii ætate, cum adversus Græcos ferrentur concertationes, morem illum in Occidente longè latèque obtinuisse, quod veteri consuetudine receptum testantur Alcuinus Episc. 69. Rabanus Maurus Lib. 1. Instit. Cleric. cap. 31. & S. Isidorus Hispalensis de Offic. Eccles. lib. 1. Fateri tamen oportet, hanc consuetudinem totà fuisse antiquitate probatam non satis demonstrari.

Martinus Polonus in Chronico refert, Alexandrum I. panis fermentati usum lato edito sanxisse; qua de re nihil in Pseudo-Decretalibus Isidori. Veteres quidem Scolastici (*) produunt, sed nullo, quantum scimus, fundamento, Leonem, nescio quem, Pontificem id decrevisse, studio opponendi se dogmati Ebionitarum, ferentium Sacra mysteria in Azymis confici oportere; iis verò hergetis dissipatis, ad azyma reditum. Azymorum disciplinam non nisi post Carolum Magnum obtinuisse Græci Schismatici recentiores contendunt (g). Porro Rex ille, inquit, Vandalorum Arrianorum copias ausus, Urbe sub jugum missa, morem illum, Felicis Pontificis sibi faventis autoritate, invexit. Sed fides horum obtreactionum ea est, quæne in suspicionem revocari quidem paulò operosius mereatur.

Vetustissimus pro antiquitate panis fermentati in Ecclesia Latina Author laudari potest Scriptor Operis de Sacramentis sub S. Ambrosii nomine, inter ejus opera vulgatus (h). Porro Author ille quinti vel sexti sæculi luculenter asserit, Eucharistiam confici in usitato pane. Laudatur etiam ve-

luti S. Gregorii Magni locus, ubi vir ille sanctus indiscriminatim in Ecclesia Romana azymum & fermentatum panem adhiberi affirmat (i). Sed in ejus impressis operibus nihil tale usquam legitur. Patres Ecclesie Latinæ, & Concilia ita de pane Eucharistico agunt, quasi de pane familiaris (k); si quid autem eam in re prescriptum occurrit, illud tantummodo cautum, ne surfureus, ater, communisque panis adhiberetur, pura etenim mysteria candidus decet, & desecratissimus panis (l). Non est igitur adeo omnibus persuasum, Jesum Christum sacra potremo in Paschate in azymis consecisse.

Nihil moror conjecturas illas ex eo deductas, quod Jesum Christum potremum illud Pascha omisisse maximè omnium conveniret. Cum enim veteri abolito ad novum constituendum Pascha venisset, debuit Sacrificium suum eodem tempore consummare, quo typicus Agnus in Templo immolabatur; unde fieret, ut rei veritas in locum figure substitueretur. Id maximè omnium inculcant SS. Patres, & S. Irenæus disertissime asserit: Passus est Dominus adimplens Pascha (m). Origenes in Joan. tom. 3. & S. Hieronymus in illud Evangelii: Scribitis quia post biduum Pascha fiet, interpretantur de novo Paschate, nunquam antehac celebrato, cujus nova tunc fieret institutio, imposito veteri Paschati termino; Finem carnali festivitati volens imponere, umbraque transeunte Pascha reddere veritatem: mactatâ scilicet veri Agni loco typici Paschalis, victimâ. Hæc quidem rationum momenta, solida alioqui, tunc planè convincunt, postquam sententia solidis primùm documentis asserta est. Certum ali-quod assertumque factum nullis quidem, contrariis congruentiis expugnatur; sed si qua fuerint congruentiæ, naturaliter ex illo profluentes, hæc sane plurimum juvatur.

Cum igitur Ecclesie permissione integrum cuique relinquatur, ut, quod maximè systema placuerit, illud teneatur; & deductum huc usque systema difficultates omnes subducatur, Textus Evangelistarum exponat, repugnantes in speciem conciliet, nihilque habeat incommodi, nihil repugnans legibus historiae Chronologiae & moribus Judæorum; congruat autem maximè tum vetustissimæ de Festo Pentecostes Dominicæ die celebrato traditioni, cum jejuniis feriæ quartæ, jam inde à primis sæculis in memoriam initi à Judæis adversus Jesum biduo ante Pascha consili; quadret insuper cum vetustissimæ Ecclesie Græcæ quin & Latinæ per plura sæcula consuetudini, mysteria nempe in azymis conficiendi; non est cur in eodem cum cæteris systematibus autoritatis gradu consistere non possit. Ed autem maximè quod ad stipulatores habeat plures Veteres Patres, uti Tertullianum, Hilarium Diaconum, & Authores sub nomine S. Clementis Alexandrini, S. Petri itidem Alexandrini laudatos, Philoponum, Metrodorum, Cedrenum, aliosque nonnullos veteres, sicut & idem arrisit Vechietto, D. Toyuardo,

i Gregor. Mag. apud D. Thomam Cate-na in Matthei c. 26. & l. 2. contra errores Græcorum. Vide & Pbot. Cod. 252. k Tertull. l. 2. c. 5. ad Uxor. rem. August. Serm. 227. & 229. Epist. 59. & alii passim. l Concil. Tol. l. XVI. can. 4.

m Iren. l. 4. c. 23.

& P. Lamy. Ita pariter persuasum habent Judæi, neque nostræ ætatis plures ab eadem sententia recedunt.

Hæc quidem pro ista sententia: modò verò quæ pro communi opinione, paucis exponenda. Ad hanc autem controversiam dirimendam, unicè spectandam esse literam S. Textus, utra pars proniorem interpretationem, & hominum sensui magis conformem præferat, à nemine revocatur in dubium. Quæ etenim in auxilium prioris sententia ante exposita adducta sunt ex Astronomicis supputationibus, & serie chronologica dierum Antepaschaliu petita, hæc minoris ponderis sunt momenta. Neque enim dierum illa series ex quatuor Evangelistis derivata an exacta satis, ad sensum demonstrari posse arbitror, ut ex variis variorum Harmoniis intelligimus. Lunares verò supputationes exactissimas tenuisse Judæos, ambiguum est maximè, cum & erroris illi eam in re accusentur in Constitutionibus Apostolicis l. 5. c. 17. In ipso etiam calculo falluntur, quem putant se rectè ponere, ut omni ex parte errent &c. Omnibus igitur relictis conjecturis, ipse adeundus est S. Scriptura Textus; sed cum utraque pars aperta pro se in speciem afferat testimonia, utra conformia veritati censenda sint, à nemine melius, quam à traditione iudicium petitur. Quæ enim constantiorem & vetustior, ipsi penè rei de qua agitur, coævam, traditionem afferit, huic planè lis ab æquis rerum estimatoribus adjudicanda. Magna vis est veritatis, nec fieri unquam potest, ut persuasio ab ipso penè tempore rei gesta cœpta & longè latèque obtinens, non aliquid habeat pro se veritatis. Quæ cum in aliis omnibus verissima sint, in assignando ultimæ cœnæ à Christo Domino celebratæ tempore multò sunt evidentiore. Quis enim credat, pios illos Fideles Apostolis coævos, qui Jesu Christi tam solerter annotarunt omnia, ut nec minoris momenti multa negligerent, erga tempus novissimæ cœnæ à Jesu Christo celebratæ, cum scilicet augustissimum illud Eucharisticum mysterium institutum est, incuriosos sese habuisse? Quis credat, noluisse Fideles illos sese à viris Apostolicis eam de re instrui, occasione controversiæ à Quartadecimanis agitata? Universam autem Veterum traditionem pro celebrato à Jesu novissimo illo Paschate stare, ipsi fatentibus contrariæ sententiæ assertoribus, compertum est. Porro traditionem illam ex ipsis cœpisse Apostolicis temporibus inde intelligimus, quod Christiani illi defendentes Paschalem solemnitatem die 14. Lunæ cum Judæis celebrari oportere, exemplo se Christi, qui Pascha eadem die celebrasset, tuebantur. Legge S. Epiphanius in hæresi Audianorum, & Chronicon Alexandrinum; & quod maximè intentum convincit, fragmentum epistolæ Polycratis Episcopi Ephesini ad Victorem Pontificem Romanum, quod recitat Eusebius Historiæ Eccles. l. 5. c. 23. ita enim habet: Ipsi omnes diem Pascha 14. die Lunæ ex Evangelii præscripto observarunt. Ubinam id præcipit Evangelium, Dissert. Calmet Tom. II.

nisi Jesu Christi exemplo proposito, qui novissimum Pascha die 14. Nisan celebravit? Si enim se tantum celebraturum Pascha illud Christus significasset, si in vivis egisset, nullum profectò datum in Evangelio præceptum eam de re Christianis censeretur; quin potius sibi prætendissent, nunquam committendum esse à Fidelibus, ut unum idemque haberent cum Judæis Pascha, quandoquidem de servato à Jesu Christo legali Paschate, quo tempore Legis præcepta ejus morte dissolvenda erant, nihil in Evangelio legeretur. Nec sane aliter huic Quartadecimanorum argumento, responderunt sequioris ætatis Scriptores Catholici, apud quos abolitâ jam vel obscuratâ temporis, quo à Jesu novissima illa cœna instituta est, memoriâ, contrariâ opinio de non celebrato à Jesu Paschate gliscere apud quosdam cœperat. Reponbant enim illi Quartadecimanis, nunquam à Christo commissum, ut novissimum illud Pascha cum Judæis celebrarent, quare nec Christianis id esse servandum inferbant. Hæc Christiani Scriptores, sed rari & sequioris ætatis; vetustissimi enim, sicut & cæterorum turba, id ultro dantes adversariis, Christum scilicet legale Pascha celebrasse, aliis illos argumentis revincebant. Secundi ergo sæculi traditio pro celebrato à Jesu Paschate stabat.

At enim Tertullianus, qui pariter sub Victore florebat, Christum obiisse dicit die primo azymorum, quo Agnus ut occideretur ad vesperam, Moyses imperaverat. Quid hic adversus communem sententiam? Prima dies azymorum æquè dicebatur & dies 14. Lunæ & dies 15. proximè succedens; cum autem dies 15. prima azymorum solemnitas haberetur, & festi apud Judæos dies à Vesperis diei præcedentis inirent, sicut & in vespere præcedentis diei, nempe diei 14. Lunæ Paschalis Agnus immolaretur, rectissime utique dictum est à Tertulliano, Christum die primâ azymorum obiisse, die scilicet 15. Lunæ, cujus exordium, vespere nempe diei præcedentis, Paschalis Agnus consecraverat. Vetus igitur, ab ipsis fermè Apostolicis temporibus cœpta traditio, claros in utramque partem Scripturæ Textus ad sententiam de celebrato à Christo novissimo Paschate determinat.

Restat, ut, quos diximus, apertos saltè in speciem Evangelii Textus pro communi hac sententia, apertos reipsa in medium adductos demonstremus. Prima azymorum dies illa sine controversia habebatur, quæ immolationi Agni proximè succedens, septimæ Paschalis ducebat exordium. Decima quinta dies mensis hujus solemnitas azymorum est. Septem diebus azyma comeditis; dies primus erit vobis celeberrimus (n). Quare si dies 14. ipsa eadem pariter dies prima azymorum appelletur, ejus rei in causa fuisse oportet, quod cum Festi Judæorum dies à vespere præcedentis inirent, participatione quadam dies 14. Lunæ prima azymorum diceretur; vespere enim ejusdem diei initium erant solemnitatis azymorum die 15. celebrandæ. Diei igitur pri-

n Levit. 23. 5. Vide & Num. 28. 16. 17.